



In quo ordine h. 4. se habet ad perfecte mixtum vt 1. a seu lux progressionis simplicis ad e. 4. quatuor elementa, porro, vt b. 2. arguunt materiam primam & formam, ex quibus multiplicatione progressa sunt 4. elementa: ita quidem e. 4. seu quatuor elementa, denotant materiam & formam in simplicitate elementorum, ex quibus iterum vltiori multiplicatione corpora eo magis & perfectius mista procedunt, quo profundius se immergit vnitas in materiae multitudinem. Vt ergo vnitas lucida 1. a. est simplicissimus omnium simplicium fons, sic etiam & e. 4. seu quatuor elementa, sunt simplicissima origo corporum mixtorum, quibus ordo 5. seu quaternarius se habet in progressu mixtorum, vt 2. ad nihil, seu tenebrae in simplicibus. Similiter ordo 6. ad illud 5. vt 2. ad 1. & 7. ad 6. vt 3. ad 2. ac tandem 8. ad 7. vt 4. ad 3. vt igitur in prima progressionem videmus, qua elucescente 1. facta sunt 2. sic etiam seipsa conglomerantia 4. elementa, in ventre vnus aeris, nempe qui est ipsorum parens, vtpote vniuersus mundi spiritus, producitur prima mixtionis species, ex quibus ventiatque meteora invisibilia tam ignita quam aquosa, quae paulatim se inspissando, vi ventorum, vel naturam igneam visibiliter induit, quae per 6. vel sextum ordinem arguitur, & relationem habet ad 3. simplicis progressionis, in qua vel aqua a luce exuberanter illuminatur, & meteora ignita denotat, quae sunt in secundo mistorum gradu, vel aqua luci praevalet, & meteora tonitruosa arguit: tum demum gradus septenarius meteora magis densa & obscura ostendit, cuiusmodi sunt nubes grandinosae & niuosae, atque etiam pluuiiales, & id genus alia, quae si adhuc vltius in compositionem pergunt, in corpora perfecte mista coalescunt. Nam hoc pro certo sciendum est, omnia corpora, tam animalia quam vegetabilia & mineralia, nihil aliud esse quam nubes seu meteora, ad perfectam mixtionem producta. Quis enim dubitare potest, quin quodlibet perfecte mistum sit prius imperfecte mistum, cum necesse sit, vt imperfectio intercedat inter simplicia, & ex simplicibus complete composita, cum impossibile sit, duo reperire extrema, vbi medium inter terminum a quo & illum ad quem deest; Sic etiam in motu ad generationem obseruamus, sperma esse imperfecte quoddam mistum, & quasi nebulam seu nubeculam generationis, quae motu naturali pergit assidue, quousque ad completam fetus seu perfecti misti productionem peruenerit.

Dicimus igitur, meteoron ideo imperfecte mistum nuncupari, quoniam in via est, seu motu naturali inter elementa simplicia in ventre aeris orta, atque metam perfectionis, speciei illius, ad quam tendit, quod si propter aliquod in medio impedimentum deficiat in suo motu, ita vt vltius in via perfectionis progredi nequeat, retrogreditur paulatim in suam naturam simplicem, a qua primitus deriuatum est, & si a ventis venenosis, aut spiritibus maleuolis simul flantibus procreetur, tunc aerem vt plurimum inficit & malum omen importat: at si a flatibus beneuolis diuino numine procreetur, aerem quandoque purgat & mundificat, terrae & fructibus bonum omen & propitium importat, atque etiam vitae animalium salubre esse, Deo sic volente, comprobatur; Nec enim dubitandum est, quin meteora ad perfecte mistorum productionem conferant, Cum experientia simus instructi, quod ranae, vermes, & monstrosa animalia, item caro, sanguis, frumenta & aliae fruges, atque etiam lapides, arenae atque pulueres, & huiusmodi alia admiratione digna e nubibus & aere ventorum afflatu deciderint: Sciendum igitur est, quod sint meteora tam generationis quam corruptio-

nis,